



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Art. 5. De dispensationibus in impedimentis Matrimonium dirimentibus

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**

gionem ingrediendi & in ea profitendi, aut ordinis sacri suscipiendi, impedit matrimonium contrahendum: ita ut si persona ejusmodi votis obligata matrimonium contrahat, peccet mortaliter, etsi matrimonium validum sit. mulier vero voto simplici castitatis obligata, post matrimonium valide contractum, tenetur debitum marito illud exigenti reddere, non potest tamen sine peccato petere: Similiter vir voto simplici castitatis obligatus, potest & tenetur debitum uxori postulanti reddere, petere autem non potest. Notandum vero quod qui cum simplici castitatis voto matrimonium ineunt, mortuo conjugate neantur iterum ad votum castitatis servandum, nec possit absque dispensatione sine novo peccato mortali, ad secundas nuptias procedere. Quia promissio Deo facta tota vita durat, nisi super ea dispenseetur.

## Articulus Quintus.

*De Dispensationibus in impedimentis  
Matrimonium dirimentibus.*

1. **N**on datur dispensatio, ne quidem à summo Pontifice in impedimen-

ris Matrimonii, jure divino Naturali aut  
positivo mere constitutis. Non enim po-  
test dispensare ut nubat filia cum patre, fi-  
lius cum matre, nurus cum socero, gener  
cum socru sua, quia nec directe nec indire-  
cte nec permissive, pontifex potestatem  
habet in illa, quæ sunt juris divini absoluti,  
nec ab humana dispositione dependent  
soli enim Deo reservantur.

2. Romanus tamen Pontifex potest di-  
spensare in omnibus impedimentis matri-  
monium dirimentibus, quæ Ecclesiastico  
jure constituta sunt, quia ipse est caput Ec-  
clesiæ, in quo tota potestas quæ in Eccle-  
siam influit, tanquam in suo principio con-  
tinetur. Unde *Concil. Trident. sess. 24. de  
Reform: Matrim: c. 5.* Supponit residere in  
Pontifice potestatem dispensandi usq; ad  
secundum gradum collateralem. *In contra-  
hendis (inquit) Matrimonijs vel nulla omni-  
no detur dispensatio vel raro, idq; ex causa  
gratis concedatur, in secundo gradu nun-  
quam dispensetur, nisi inter magnos Princi-  
pes.* Illæ vero dicuntur justæ causæ dispen-  
sationum, quæ attentis circumstantiis mo-  
vent,

vent, aut aptæ sunt movere dispensatorem ad dispensandum. Mensurantur autem his fere circumstantiis: tempore, loco, personis, necessitate, utilitate, malo gravi vitædo.

3. Ex circumstantia temporis dispensandi causa proponitur, uti: Belli, pestis, ætatis, qualis est causa ista Romanis usitata, pro Oratrice excedente 24. annum: quod dicta Oratrix 24. annum excedens hæcenus virum paris conditionis cui nubere posset, non invenit.

4. Ex circumstantia loci: quales sunt quæ propter loci angustiam obtinentur, quod cum dicta Oratrix, propter loci illius angustiam virum sibi non consanguineum, paris conditionis cui nubere possit, invenire nequeat.

Ex circumstantia personarum, ut quia Magnates, ad conservationem Hæreditatum in eadem cognatione, item: ob excellentiam meritorum in Ecclesiam personæ, pro qua petitur: item: ad conservationem familiæ in eodem sanguine alias perituræ.

5. Ex necessitatis circumstantia, ut propter

pter

pter inopiam, vel carentiam dotis ut cum dicta Oratrix indotata existat, & dictus Orator sic illam indotatam in uxorem ducere, ac usque ad quantitatem secundum Oratricis qualitatem competentem, ex integro dotare intendat.

Ex circumstantia utilitatis: quando ex dispensatione in gradibus prohibitis oriatur, reconciliatio Hereticorum cum Ecclesia, & propagatio Religionis.

6. Ex circumstantia mali gravioris vel scandali evitandi, dispensationes justificantur, quæ ad infamiam evitandam conceduntur, cognatis vel affinibus, qui carnaliter se cognoverunt, secuta vel etiam non secuta prole, aut muliere jam gravida. Ad valorem vero dispensationis debent allegari veræ vel reales causæ, & quæ in personis vere à parte rei subsistunt, unde si causæ fictæ, falsæ, & à parte rei non existentes, allegentur, quibus permotus Pontifex dispensationem concedat, dispensatio est penitus nulla, & matrimonium subsequens invalidum.

7. Episcopus vero non potest Ordinaria

naria potestate dispensare in impedimentis Matrimonium dirimentibus, communitamen usu & interpretatione juris, potest Episcopus interdum in impedimentis matrimonium dirimentibus dispensare, concurrentibus maxime quatuor conditionibus. 1. Si Matrimonium jam sit (etsi nulliter) contractum. 2. Si impedimentum sit occultum. 3. Si separatio fieri nequeat sine gravi scandalo. 4. Si ob paupertatem, vel alias causas justas, Romanus Pontifex adiri non possit. Ita *Aloysius Riccius in praxi rerum quotid: Resol: 228.* Fundamentum ejus est, quod si Romanus Pontifex adiri potuisset, aut requisitus fuisset, his concurrentibus circumstantiis, in dispensationem consensisset. Quod fundamentum pertinet ad justam interpretationem legis, communi etiam usu & consuetudine quæ est juris declarativa, concessum est, Episcopis ad supplendos defectus in necessariis casibus, qui non permittunt recursum ad summum Pontificem, ne Ecclesia deesse videatur in iis quæ ad communem fidelium salutem & vitanda peccati pericula, & alia mala requiri possunt. 8. Pe-

8. Petes I. an Episcopus nunquam possit dispensare in impedimento dirimente, ante contractum matrimonium Resp. cum Thoma Sanchez. lib. 2. de Matrim: D. 40. n. 7. Posse evenire casum quo possit, si nimirum duo simul concurrant, ut videlicet sit periculum grave spiritualis salutis, vel ingentis damni in mora, si dispensatio differeretur. Vel quod non pateat facilis aditus ad pontificem vel alium delegatam potestatem habentem. V. G. est concubinaris qui concubinam habet, quæ ab aliis putatur uxor, hic in extremis positus vult ducere concubinam in uxorem, reperitur tamen concubina in aliquo prohibito affinitatis gradu occulto illi conjuncta, cæterum proles habent, uxor legitima creditur, gravissima infamia erit si deprehendatur fuisse concubina & non uxor, mors instat, in hoc casu Episcopus ante contractum matrimonium dispensare potest, & valet axioma illud commune, Episcopum in lege Pontificia & Conciliari dispensare posse, quando est gravis aliqua necessitas, nec patet aditus ad S. Sedem.

9. Petes 2. Quid faciendum casu quo impedimentum occultum, super quo Episcopus ad effectum Matrimonii revalidandi in foro conscientiae dispensavit, postmodum in foro externo manifestum fiat. & in hoc casu Episcopum debere declarare & testari in genere, dispensationem sufficienter obtentam esse, quia Matrimonium virtute dispensationis ejus in foro conscientiae fuit validum & vere contractum, & eo modo quo tunc fieri poterat, cum impedimentum occultum erat, adeoque contractantes in omni foro, in possessione sunt Matrimonii validi. Non enim constat de restricta potestate Episcopi in hoc casu, cum potestas dispensandi illi ex communi juris interpretatione adveniat, & aequales casus non excludat. Maxime cum communis sententia sit, Episcopum in sua Diacesi posse, quidquid Pontifex in Ecclesia, etiam quo ad reservata, quando salus animarum periclitatur, vel grave scandalum imminet, nec datur ad supremam sedem recursus. Non obstante tamen hac declaratione externa, & testimonio Episcopi, summi Pontificis



tificis dispensatione opus est: quia declaratio Episcopi tantum est, ad remouendum scandalum, nec seruit in foro externo seu litigioso, adeoque casu quo Matrimonium in controversiam traheretur. S. Sedes adiri debet & nova dispensatio pro illo foro obtineri.

## Articulus Sextus.

### *De finibus & bonis Matrimonij.*

1. **D**uo sunt fines primarij Matrimonij post primum peccatum Adami. Prior: procreatio prolis, posterior: remedium concupiscentiæ & illicitæ libidinis: quamvis enim Matrimonium ante peccatum ad solam procreationem prolium à Deo fuerit institutum, benigna tamen Dei dispositione factum est etiam in remediũ libidinis, ita ut nullum peccatum sit nuptis, etiam sola vitandæ libidinis causa carnaliter copulari. Patet 1. Cor. 7. v. 9. *Propter fornicationem autem unusquisq; suam uxorem habeat & unaqueq; suum virum, melius est enim nubere quam uri.*

2. Secundarii vero fines Matrimonij sunt,